

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXXX. Parvuli Christo Offeruntur, Quibus Ipse Manus Imponit et  
Benedict. Matt. 19. v. 13. Marc. 10. v. 13. Luc. 18. v. 15.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

quo imbecillitati suae medeantur. Ex quibus omnibus manifestum evadit, Christum nequam universalem legem calibatus sancire, sed cuius pro modulo donorum à Deo acceptorum liberum relinquere, ut eligat id, quod se minore cum conscientiae pressura facere posse intelligit. Rectè ergo fecerunt Episcopi & Sacerdotes Germaniae, cum post annum Christi 700. ab aliquot Romanis Pontificibus, Bonifacio, Hildebrando, & aliis interdictum de conjugio obtruderetur, quod ex verbo DEI graviter & constanter contradixerunt. Argumenta, quibus suum conjugium defenderunt, inter alia haec fuerunt. 1. In V. Test. Deus sacerdotibus conjugium concessit. 2. Non legitur, quod in N. Test. sit interdictum. 3. Paulus disertè dicit, se non habere præceptum de calibatu. 4. Paulus vult, ut Episcopi & Diaconi sint unius uxoris viri. 5. Christus & Paulus affirmant, non omnes capere consilium continentiae. Et plura alia: licet tandem tyrannis Pontificum vicerit, & veritatem oppresserit. Et quia Pontificii Patrum autoritate ut plurimum pugnant, sciendum, plerosque quidem Patres sic disputare, ut videantur sentire, omnes, si modo velint & petant, posse continentiam in calibatu præstare: non tamen deesse, qui evidentia rei moti, idem

cum Christo sentiant & loquantur. Ignatius. Si quis potest in continentia manere, maneat sine gloria: si vero gloriatus fuerit, perit. Hieronymus ad Jovinianum. Si omnes virgines esse possent, nunquam Dominus diceret: qui potest capere, capiat: nec Apostolus in svadendo trespiceret. Idem scribit in 19. Matth. Unde infert Dominus, qui potest capere, capiat? ut unusquisque consideret vires suas, utrum possit virginalia & pudicitiae implere præcepta. Per se enim castitas blanda est, quemlibet ad se alliciens: sed consideranda sunt vires, ut qui potest capere capiat. Augustinus de virginitate. cap. 40. Unusquisque habet proprium donum. Quis ergo donat ista? Quis distribuit propria unicuique sicut vult? nempe Deus, apud quem non est iniquitas. Ac hoc, qua aequitate illa faciat alios sic, alios autem sic, homini nosse aut impossibile, aut difficile est: quin tamen aequitate faciat, dubitare fas non est. Bernhard. in sermone ad clericos. Utinam qui continere non valent, calibatu dare nomina, vereantur. Sumptuosa enim turris est, & verbum grande, quod non omnes capere possunt. Sed de his latis.

## CAPUT CXXX.

## PARVULI CHRISTO OFFERUNTUR, QUIBUS IPSE MANUS IMPONIT ET BENEDICIT.

MATT. 19. v. 13. MARC. 10. v. 13. LUC. 18. v. 15.

## RATIO ORDINIS.



Ἰερὸς ἀκολῶθιος hic manifestus est. Matthaeus enim post finitam disputationem de divortio, subiungit. *Tunc oblatis sunt & parvuli.* Quae particula *τε* tunc tempus & ordinem indicat.

Consentit cum Matthaeo Marcus, qui eodem ordine hasce historias collocat. Nec dissentit Lucas, siquidem eam una cum reliquis duobus Evangelistis praeimit historiae de divite, regnum DEI ambiente. De ordine itaque hic nullum est dubium.

## HISTORIA OBLATORUM PARVULORUM CHRISTO.

MATT. 19.

13. Τότε προσελθὼν αὐτῷ παιδία, ἵνα τὰς χεῖρας ἐπιτιθῆ αὐτοῖς, καὶ προσεύχηται, οἱ ἡ μαθηταὶ ἐπετίμησαν αὐτοῖς.  
 14. Ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, ἀφετε τὰ παιδία, καὶ μὴ κωλύετε αὐτοὺς ἔλθεῖν πρὸς με, ὅτι τοῦτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.  
 15. Καὶ ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας, ἐπορεύθη ἐκεῖθεν.

13. Tunc oblatis sunt ei pueri, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.  
 14. Jesus vero ait eis: Sinite pueros & ne prohibeatis eos ad me venire, talium est enim regnum caelorum.  
 15. Et cum imposuisset eis manus, abiit illinc.

MARC. 10.

13. Καὶ προσέφερον αὐτῷ παιδία, ἵνα ἀψήγη αὐτῶν. οἱ ἡ μαθηταὶ ἐπετίμων τοῖς προσφεράσιν.  
 14. Ἰδὼν ἡ ὁ Ἰησοῦς, ἠρῶνακτησε, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, ἀφετε τὰ παιδία ἐρχεσθαι πρὸς με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτοὺς. ὅτι τοῦτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

13. Et attulerunt ad illum pueros, ut tangeret illos, discipuli vero increpabant eos, qui adducebant.  
 14. Cum vidisset autem Jesus, indignatus est, & dixit illis: Sinite pueros venire ad me, ne prohibete illos. Talium est enim regnum Dei.

15. Ἀπῆλθι

15. Ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ὅς ἐάν τις μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, ἢ μὴ εἰσελθῆι εἰς αὐτήν.  
 16. Καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὰς, τὶς αὐτὰς χεῖρας ἐπέθηκε, εὐλόγησεν αὐτάς.

15. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingreditur in illud.  
 16. Et cum cepisset illos in ulnas, impositis manibus super illos, benedixit eis.

LUC. 18.

15. Προσέφερον ἡ αὐτῷ καὶ βρέφη, ἵνα αὐτῶν ἀπθῆται. ἰδόντες ἡ οἱ μαθηταί, ἐπιτίμησαν αὐτοῖς.  
 16. Ὁ ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτάς, εἶπεν, ἄφετε τὰ παιδιά ἐρχεσθαι πρὸς με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτάς. τῶν γὰρ πνεύτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.  
 17. Ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ὅς ἐάν τις μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, ἢ μὴ εἰσελθῆι εἰς αὐτήν.

15. Afferebant autem ad eum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos.  
 16. Jesus autem cum illos ad se vocasset, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. Talium enim est regnum Dei.  
 17. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum DEI veluti puer, non intrabit in illud.

Harmonia hujus historiae.

b καὶ α τότε προσέφερον αὐτῷ ἐκατὸν παιδιά, c καὶ βρέφη, ἵνα ἡ ἀπθῆται α καὶ τὰς χεῖρας ἐπέθηκε αὐτοῖς, καὶ προσετίμησεν α. ἰδόντες ἡ οἱ μαθηταί, ἐπιτίμησαν α αὐτοῖς. b οἱ προσέφεραν. b ἰδὼν ἡ οἱ ἰησοῦς, ἡ ἡράναικτος. καὶ c προσκαλεσάμενος αὐτάς, εἶπεν b αὐτοῖς. ἰάφετε ἡ παιδιά ἡ ἐρχεσθαι πρὸς με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτάς. a ἐλθῆναι πρὸς με, τῶν γὰρ πνεύτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.  
 h Ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ὅς ἐάν τις μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, ἢ μὴ εἰσελθῆι εἰς αὐτήν. b καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτάς, α καὶ ἐπέθηκε αὐτοῖς τὰς χεῖρας, b εὐλόγησεν αὐτάς. a καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς.

b Et a tunc προσέφερον ad eum e pueros, c & infantes, l ut h tangeret illos, a & manus eis imposeret, & oraret. c Quod cum viderent l discipuli, increpabant f illos b qui adducebant. b Cum vidisset l autem Jesus, indignatus est. Et c cum illos (pueros) ad se vocasset l dixit b ipsis (discipulis) l Sinite pueros h ad me venire, nec prohibete illos a ad me venire. l talium enim est regnum celorum.  
 h Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei tanquam puer, haudquaquam ingreditur in illud. b Et cum cepisset illos in ulnas; & e manus eis imposuisset b benedixit eis. a Et abiit illinc.

Periöcha hujus Historiae.

Non est ulla historia in toto codice Evangelico, quæ frequentius in templo legatur, quam hæc ipsa. Quoties enim infans ad sacrum baptismatis fontem affertur, toties etiam ex agendis Ecclesiasticis hæc historia recitatur. Sed admodum raro eadem in Ecclesia explicatur. Quia vero DEI verbum in eum finem datum est, ut illud scrutemur, & intelligere discamus: nos in præsentia communia lineamenta expositionis præducemus, alii poterunt plenius ea deducere & exornare. Sunt autem in tota historia potissimum tres personæ attendendæ: 1. Matres parvulos adducentes. 2. Discipuli, ne id fiat, prohibentes. 3. Christus suam sententiam interponens.

I. Parentes horum parvulorum sunt consideratione digni. Nam postquam Dominus Jesus triennium & amplius totam Palæstinam pertransiit, beneficiendo & sanando omnes, qui à diabolo oppressi erant. Act. 10. v. 38. Plebis quidem favorem & benevolentiam sibi conciliavit: Pontifices vero, sacerdotes & Pharisei, præsertim Hierosolymitani immane in ipsum odium conceperunt, quia crescente ipsius auctoritate suam minui videbant. In regia itaque urbe consultant & decernunt, quod sit occidendus: & si quis eum Messiam confiteretur, eum excommunicandum esse. Interim Dominus Jesus pertransit universam regionem judæam, Galilæam, Pereaam, ut auditoribus suis valediceret, quibus dudum de passione & morte sua prædixerat, & concionatus

fuerat. Dum ergo citra Jordanem in confinio Judææ quoque valedicit, veniunt matres, & adducunt parvulos suos, nec tantum τὰ παιδιά parvulos, qui incedere & loqui poterant, sed etiam τὰ βρέφη infantes, qui illa facultate destituebantur, ac propterea apportabantur, in eum finem, ut illos tangeret, seu, ut Matthæus apertius explicat, ut impositis manibus oraret pro illorum salute, illisque bene precaretur. Permovit illos, quod ex plurimis miraculis Christi cognovissent, ipsam per impositionem manuum & orationem varia mala à multis repulisse, & bona ipsis contulisse. Cum ergo audirent se hoc tanto doctore privatos iri, ejus benedictione etiam liberos suos ante discessum frui cupiunt, certo sibi persuadentes, per impositionem manuum ipsius & orationem, etiam suos infantes à malis, & diaboli potestate præmuni posse. Hic enim pervercustus fuit apud populum DEI benedicendi mos, ut parvuli senioribus atque sanctis viris offerrentur, quo impositis manibus ipsis benedicerent. Sic Genes. 48. v. 1. Josephus duos suos filios, Ephraim & Manassen, adduxit ad Jacobum patrem, ut impositis manibus ipsis benediceret.

Docent hæc matres, quodnam præcipuum parentum officium erga suos liberos esse debeat: nimirum, ut eos Christo offerant, & adducant. Naturales ergo urgent parentes, ut liberis suis bene consultum, cupiant. At melius ipsis consuli nequit, quam si ad Christum perveniunt, in quo nos

Pater benedicit omni benedictione spirituali in cœlestibus Ephes. 1. v. 3. Sacramentarii existimant, superstitiosum quid subfuisse, quod hæc matres contactum desiderarunt, & fuisse eos longè imperfectioris fidei, quam fuerit centurio Matth. 8. v. 8. qui non requisivit contactum, sed contentus esse voluit verbo. Hoc disputant in eum finem, ut etiam suos auditores doceant contentos esse verbo, si maximè contactus Christi per Sacramenta non accedat. Resp. Nos quidem non negamus, Christum etiam sine contactu sanare & juvare posse per merum verbum: Sed quandoquidem ipsius bonitati ita placuit, ut etiam in Sacramentis, quasi corporis sui contactu nos juvare velit, nos illam bonitatem non rejiciamus, sed exosculemur.

II. Quid vero discipuli? *Increpabant illos, qui adducebant, & cum indignatione eos rejiciebant.* Cur ita? Non ex invidia: sed ex zelo, pro magistri sui honore & quiete. 1. imaginabantur sibi adhuc terrenum regnum Christi: cogitabant igitur, quid Christo cum mulierculis istis & pusillis? Leviora hæc sunt, quam ut Dominus pro majestate sua levibus istis occupari debeat. 2. volebant etiam ipsi parci, ut qui alias plus fati occupatus esset, adeo, ut interdum commode panem comedere non posset. Cogitant ergò quid futurum est, quando etiam pueruli catervatim accurrent? 3. Hactenus venerunt ægri, & ut Dominus eos sanaret, ex misericordia passi sunt. His autem parvulis nihil deerat: quid ergò opus est, eos Domino offerre. 4. Denique putabant Christum nihil posse tractare cum hujusmodi parvulis & infantibus: siquidem nondum sint rationis capaces, non possint verbum cum fructu audire, neque miracula judicare. Satius ergò esse, ut Dominum missum faciant. Sed hoc ipso discipuli produnt magnam suam incertiam, ut merito ipsos pudere debuisset, triennium & amplius Christo conversatos fuisse, neque in doctrina salutis plus profecisse. Debebant meminisse dictorum Scripturæ, quæ testantur, infantes ab utero matris Deo curæ esse. Ps. 22. v. 10. Tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ. Et David dicit Ps. 139, 13. Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de utero matris meæ. Meminisse etiam debebant vulgaris illius ex Psal. 8. v. 3. Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem, propter inimicos tuos. Item, quod Christus dixisset, Joh. 6. v. 37. omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Quod denique nuperius Matth. 18. v. 2. cum contentio esset de primatu, puerum in medio statuerit, & monuerit, ne offenderent hosce credentes in se. Ex hisce nos cognoscamus quantum hostis sit Satanas salutis infantum & puerorum. Nam quia novit, per hosce Christi regnum ampliari, idem mille modis ipsis insidiatur, ut impediatur, ne ad illud perveniant. Et hoc non facit tantum per eos, qui nimia indulgentia, vel etiam prava institutione illos corrumpunt; sed etiam sæpè sub prætextu religionis. Sic olim Judæos decepit, ut liberos suos Molocho, imò dæmoniis offerrent. Sic in Papatu ex persuasione Monachorum, parentes liberos suos monasteriis incluserunt, antequam intelligerent, quid ipsis prodesset, quid

obesset: postea universam vitam impuris ustionibus consumserunt. Sub luce Evangelii diabolus Anabaptistas excitavit: qui nolunt infantes baptizari, ut hac ratione à Christo abstrahantur. Vigilent ergò pii parentes, ne in propria pignora crudeles deprehendantur.

III. Sed Christum videamus & audiamus, qui controversiam hanc decidit. Is 1. *indignatus est, neque immerito.* Hac enim ratione discipuli, quantum in ipsis erat, infantum saluti obstabant, dum eos à Christi communionem arcent. Adhæc parentum fidem labefactabant contra suum officium, qui quosvis in fide confirmare debebant. Denique Christi regnum coarctabant. Infantes autem & pueri magna ejus pars sunt. Quemadmodum enim familia in orbitatem rediguntur ex sterilitate, quando nulli amplius infantes in illis pariuntur: ita Ecclesia sterilis reddetur, nisi subinde in ea pueri pueris succedant. Jure ergò Christus discipulis ob hoc factum indignatus est. 2. *Convocatis & pueris* (habet enim Lucas *adversus*, scilicet *ἡ τράχια, καὶ τὰ βρέφη*) & discipulis, & hisce dixit: *Sinite pueros ad me venire, nec prohibete illos.* *Tantum enim est regnum cœlorum;* τὸ βασίλειον οὐρανοῦ, non τῶν ἡρώων (sive horum): Ut significet, regnum cœlorum esse non tantum illorum infantum, qui tunc oblati sunt, sed etiam omnium *talium*, qui Christo offeruntur, & adducuntur. Et majoris confirmationis ergò addit: *Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei, tanquam puer, bandquam ingrediatur in illud.* Quibus verbis Christus diserte, & magna cum allevatione enunciat, nisi nos adulti pueris, si non ætate, voluntate tamen, imitatione, humilitate & simplicitate assimilémur, ut & ipsi ad Christum veniamus, sive adducamur, & ab ipso benedictionem consequamur, non futurum, ut hæredes regni cœlorum fiamus. Tandem Christus puerulos hosce *in ulnas suscipit*, ut eos, tanquam carissima *νεμερπία* propius pectori, & paterno cœrdi admoveat, sicque paternum suum affectum apertius commonefret. *Manus ipsi imponit*, benedictas sc. manus, in quas à patre suo acceperat omnia bona cœli & terræ. *Atque benedixit eis*, virtutem & efficaciam hujus benedictionis, quis dignè æstimabit? Certe ex hujus benedictione, cœu ex perenni fonte profluit omne bonum, sive multum, sive modicum, prout ipsi placuerit, quo nos fruimur. Hisce confirmat Christus id, quod nos supra in primo membro de officio parentum diximus: horum nimirum esse, ut infantes & parvulos suos Christo offerant & adducant. Id quomodo ab ipsis fiat, Christianis notum esse debet. Est autem potissimum triplici ratione. 1. Quia liberi sunt donum Dei, & fructus ventris hæreditas Domini, ut habet Psal. 127. v. 3. ideo quamprimum pii parentes illam Domini benedictionem sentiunt, mox DEO gratias agere, & piis precibus scœtum suum Christo commendare debent: implorant etiam preces Ecclesiæ, per quas ulterius Christo eum offerant, nec dubitent, preces illas, à Christo etiam exauditas, Matth. 18. v. 19. & Joh. 16. v. 23. adeo, ut si maximè quid infortunii, vel ante partum, vel à partu accidat, hanc habeant consolationem, quod fructum istum uteri Deo commendarint, qui illum paternæ suæ misericordiæ inclusurus sit, ut qui

qui non tantum noster, sed etiam seminis nostri Deus esse velit Gen. 17 v. 7. 2. Quando verò liberi Dei beneficio in mundum sunt prognati, tum non sufficit, eos precibus Christo offerre: sed properandum est ad sacrum baptismum, ut per aquam & Spiritum renascantur. Joh. 3. v. 5. ut sic Christo incorporentur, atque fiant membra mystici ipsius corporis. Neque hic audiant patres vel Anabaptistas, vel etiam propriae rationis argumenta, quæ objicit: quid facies? infantes nihil intelligunt, quid igitur in templo cum ipsis tractabis? Expecta annos discretionis. Hic tu responde: Atqui ad hanc sacram actionem, non indigemus ratione nec intellectu. Quin etiam nos adulti in hujusmodi sacris actionibus debemus captivare intellectum nostrum in obsequium Christi, atque cum Christo non per rationem, sed per fidem agere. Atque hoc innuit Christus, quando hic dicit: *nisi quis acceperit regnum Dei sicut puer, haudquamquam ingreditur in illud.* Nam ipse Christus non alio respicit, quam ad obedientiam fidei. Ut quemadmodum infantes ex ore suorum parentum dependent, neque contra illos disputant: ita nos adulti ex ore & verbo Dei simplici fide dependere debemus. Abrahamus fuit vir 75. annorum, & tamen à DEO sic se duci passus est, ut circumcisionem (rationi ridiculam ceremoniam) cum tota sua familia susciperet. Idem fecere Moses, David & alii sancti. Cum igitur ratio humana nihil faciat ad baptismum, cur illam in infantibus spectabimus? Nam omnino Christus hoc suo facto ostendit, etiam infantes suæ gratiæ participes esse posse, nec à gratia baptismi removendos esse: quasi Spiritu prævidens, sub finem mundi exorturos Anabaptistas, qui & ipsi cum discipulis contra oblationes parvulorum disputaturi essent. 3. Porro, quando parvuli post baptismum adolescunt, ulterius Christi adducendi sunt per sedulam, sollicitam & piam institutionem. Sicuti Deus omnibus temporibus à sanctis requisivit, & Gen. 18. v. 19. in Abrahamo magnifice deprædicavit. Non ergo cogitet pater: Ego pro filio meo sedulo oravi, antequam nasceretur: quamprimum postea natus fuit, ipsum Christo per baptismum obtuli, eique ipsum commendavi. Ergo feci, quod

debi, in reliqua vita ipse jam se regat. Nequaquam sic cogitandum, sed cum annis demum crescat cura educationis. De eo D. Paulus Eph. 6. v. 4. vos patres, educate filios vestros in disciplina & correptione Domini. D. Petrus quoque habet elegans dictum 1. epist. 2. v. 1. Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum & simulationem, & invidias, & detractiones, & sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite: ut in eo in salutem crescatis. Tria requirit Apostolus. 1. Quia natura sumus corrupti, & ex originali malo nobis malitia & dolum inhæreat, quidam etiam cum ætate ex imitatione aliorum deteriores fiant, ut invidiæ & detractioni indulgeant: vult ut hæc vitia pueri adolescentes deponant. 2. Usus lactis suadet, ut, quemadmodum nuper nati infantes lacte matrum nutriuntur, sic ipsi ex simplici Dei verbo, imprimis autem catechetica doctrina, quæ lactis instar est, donec solidioris cibi fiant capaces, instituantur. 3. Utque sic crescant, non tantum ætate & statura, sed potius in salutem. Hæc debent quotidiana esse exercitia Christianorum, sive puerorum sive adultorum: & qui sic quotidie Christum adeunt, se ipsi offerunt & sistunt, hi sunt ipsi accepti, eos amplectitur, ipsisque benedictionem communicat ad vitam æternam.

Pro hoc tertio parvulorum adducendorum ordine in primitiva Ecclesia egregium & utile habuerunt exercitium, quod singulis annis certo tempore pueruli, sensim adolecentes ad pastorem vel Episcopum loci adducti sunt, ut ab eis examinarentur, quid in doctrina pietatis profecissent. Hic certè juniores in discendo diligentes & ferventes fuerunt, ut bonum à doctore suo reportarent testimonium. Et hoc exercitium nominant Confirmationem, sc. juniorum in fide. Postea sub Papatu accesserunt nugæ Pontificiæ: chrisma, fascia, alapa. Ob hæc nugæ in prima Evangelii reformatione totus actus Confirmationis est abrogatus: *Man hat das Kind mit dem unreinen Bad hinweg geschicket.* Et bene exercitium Confirmationis retineri potuisset rescissis istis naniis Pontificiis. Nam quam difficulter nunc ejusmodi Catechetica rursus instituantur, id experiuntur illi, quibus salus & ædificatio Ecclesiæ curæ cordique est.

## CAPUT CXXXI.

## CHRISTUS INSTITUIT DIVITEM JUVENEM, QUOMODO POSSIT CONSEQUI VITAM ÆTERNAM.

MATTH. 19. v. 16. MARC. 10. v. 17. LUC. 18. v. 18.

## RATIO ORDINIS.

**U**andoquidem omnes tres Evangelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas adeo exactè de ordine hujus & sequentis historiæ consentiunt; non tantum supervacaneum est, sed etiam curiosum foret, ulterius de eo inquirere velle. Quapropter sine mora tractationem ipsius in manus sumamus: Nec est dubium, quin hic adolescens interfuert actui illi, cum infantes & pueri Jesu offerrentur, & audiverit magnificam ipsius

promissionem, *talium esse regnum celorum.* Cogitavit igitur secum: Ego nec infans sum, nec puer, hic Jesus me non suscipit in ulnas, non complexatur, aut benedicit, oportet ergo me ex ipso audire, qua ratione Ego regnum celorum consequi possim. Sed audiemus, rem eodem redire, de quo modo diximus: ut nimirum veniat ad JESUM. Nam talium, qui ad Christum veniunt, sive infantes, sive adulti sint, est regnum celorum.

Harm. Tom. I.

Yyyy 3

HISTO-